

## DE SACRIS ARCANIS

AETERNAE PRAEDESTINATIONIS

### AC IMMACULATAE CONCEPTIONIS

#### DEIPARAE VIRGINIS MARIAE

### LIBER PRIMUS

#### HOMILIA PRIMA

*Quo arduum, ac perdifficile sit de Mariae laudibus concinne eloqui, aurea ex sanctorum patrum verbis contexta catena, palam facit.*

Cum de abditissimis sacrosanctae Deiparae Mariae arcanis longum texere sermonem cogitarem, ingens difficultatum agmen ab hac pia, et religiosa cogitatione me abstertere gestiens invasit. Primum quidem, celsitudo ac sublimitas Mariae, quae abyssus est inscrutabilis, timorem incussit vehementem; ut enim ait d. Chrysostomus in hypopanti Domini: *Quid illa sanctius? non prophetae, non apostoli, non martyres, non patriarchae, non confessores, non angeli, non throni, non dominationes, non cherubim, non seraphim, non aliud deinde quidpiam inter creatas res visibilem aut invisibilem una hac maius, aut excellentius inventiri potest.* His consentiens beatus Petrus Damianus (*serm. de Mar. natie.*) non tam suo, quam totius Ecclesiae nomine sequens hoc reliquit testatum elogium. *Quid mirum, si haec ineffabilis Virgo in suis laudibus modum humanae vocis exsuperat, quum et ipsam humani generis naturam excellentium meritorum dignitate transcendat? non excellentissimus ille patriarcharum chorus, non providus prophetarum numerus, non iudex apostolorum senatus, non martyrum victor exercitus, non aliquis antiquorum, non quisquam sequentium patrum huc beatissimae Virgini poterit comparari: quid enim sanctitatis, quid religionis, quid perfectionis singulari Virgini deesse potuit, quae totius divinae gratiae charismate plena fuit? Compendiosius tamen s. Germanus archiepiscopus Constantinopolitanus, oratione de zona Virginis ait: *Omnia tua sunt admirabilia, o Deipara, omnia supra naturam, omnia ingentia, et cunctorum vires superantia.* Id magis explicans d. Bernardus in sermone: super*

*Signum magnum dixit: Profundissimam divinae sapientiae penetravit abyssum, ut quantum sine personali unione creaturae conditio patitur, luci illi inaccessiblei videatur immersa.* His permittit scriptis noster sanctus Bernardus (*serm. 15. cap. 1. Eccles. 1*) dicens: *Tanta fuit perfectio Mariae, ut soli Deo cognoscenda reseretur, in aula illud Ecclesiastici: Ipse creavit illum in Spiritu sancto, et vidit, et dinumeravit, et mensus est.* Hinc Sponsus Mariae sublimitatem probe agnoscens dixit ei (*Cant. 5*): *Oculi tui columbarum, absque eo quod intrinsecus latet: ubi Septuaginta transtulerunt: Oculi tui columbarum extra silentium, vel extra taciturnitatem tuam: quibus verbis non obscure significavit, tantam esse Virginis praestantiam, ut non tam illam vocibus extollere, quam religioso silentio admirantes, venerari debeamus.*

Secundo, id me etiam vehementer deterruit, quod non semel observavi, de hoc genere argumenti disserere tentantes, non solum doctrina pusillos, sed et sapientissimos viros, ac celeberrimos Ecclesiae doctores, valde permittisse, ingenue fatentes, ad Mariana praeconia digue promenda omnino se impares esse; unde d. Bernardus dixit (*ser. 4 de Assumpt.*): *Non est quod me magis delectet, non est quod magis deterruit, quam de Virginis gloria sermonem habere; et concione super Missus est, inquit: Licet de Maria loqui gestiant omnes, tamen quidquid dicitur de indicibili, eo ipso quod dici potuit, minus gratum est, minus placet, minus acceptatur; quoniam etenim poterit lingua, etiamsi angelica sit, dignis extollere laudibus virginem Matrem, non cuiuscumque, sed Dei? Haec Bernardus. Audiamus nunc magnum patrem Augustinum (*ser. 2. in Assumpt. Virg.*) in hunc modum loquentem: *Quid nos tantilli, quid actione pusilli, quid in eius laudibus referemus? cum, etsi omnium nostrum membra verterentur in linguas, eam laudare sufficeret nullus: altior coelo est, de qua loquimur, abisso profundior, cui laudes dicere co-**



de illa sensus est consummatus, et qui vigilaverit propter illum, cito erit securus: et cap. 1. Proverb. inquit: *Ne dimittas legem matris tuae, honora illam, si vis ab ipsa honorari, et in bonis ditari.* Ut enim dixit Ecclesiast. (cap. 3): *Sicut qui thesaurizat, ita qui honorificat matrem:* Hunc autem thesaurum coelestem esse, sibi verisimilissima Mater explicuit (Ecclesiast. 24): *Qui me elucidant, vitam aeternam habebunt:* quibus, arbitrator, non obscure insinasse, eorum capita, qui laudabiliter in eius encomiis celebrandis et elucidandis se exercent, laurea doctoribus promissa in coelesti patria redimienda fore. Tandem finem dicendi facio, charissimi amici nostri Martini del Rio (in florida sua Mariana), quippe, amicorum omnia sunt communia, aeterea carmina mihi vindicans:

Angelici Regina chori: dilecta tonantis  
Filia: cui coniux, in soror, et genitrix.  
Suscipe: sed facili vultu, quo cuncta serenas,  
Sunt hoc haec meritis non satis ampla tuis.  
Ingenuo sunt apta meo, sint parva necesse est.  
Grandescens genio, iusseris, illa tuo.

## HOMILIA II.

Ostenditur, beatissimam Virginem inter omnes puras creaturas primam, ac principalem locum tenere in divina praedestinatione, ex quo illibata eius conceptio comprobatur in illa verba: Dominus possedit me in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret a principio, ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret, nondum erant abyssi, et ego iam concepta eram.

Intemeratae Virginis Deiparae Mariae excellentissimam praedestinationem, tametsi reliquorum sanctorum praedestinationi in eo persimilem fateamur, quod utraque aeterna, et in neutra propria merita desideranda sint; cum omnimoda eius causam ex solo divinae voluntatis beneplacito pendam esse sanior theologorum doctrina censuit, ut perelegant metaphora edocuit divus Paulus (Ephes. 1), qui de aeterna illa electione sermonem instilvens, de qua ipse (ibid.): *Elegit nos ante mundi constitutionem;* divino quidem Spiritu afflatus, sortem, illam vocavit: *sorte vocati sumus:* sicut enim in sortibus nulla habetur meritorum ratio erga illos, quibus foelix contingit sors: ita Deus neminem sanctorum propter eius merita praedestinavit, sed ob meram eius gratiam, et munificentiam. Quod et veteres illi ethnici praediorasse mihi videntur, dum satis ingeniose (fabula antiquorum) fingebant, singulos Deos pro insigni suo singulari infructiferas arbores sibi elegisse, quarum peculiarem curam gererant. Iupiter elegit quercum, Apollo laurum, Neptunus spinem, Venus myrthum, Iuno iuniperum. Huius tam singularis, et inopinatae electionis novitatem Micyra Dea admirata valde sciscitabatur ab eius causam, ob quam arbores omnium infructuosiores sibi elegerunt? cui Dii responderunt, eapropter id factum fuisse, ut arbores

illae palam agnoscerent, non ob earum merita, sed ex gratuito deorum munere electas fuisse. Quenam quae Saulo infructuosior arbor excogitari potest, ad cuius unbram Iudaei Stephanum lapidatum? quae nociva magis, quam Magdalena, quae instar veneficae taxi civitatem inficiebat? quanam extirpanda magis, quam Dimas latro, et viatorum depradator? has nihilominus infructiferas arbores consulto Deus sibi elegit, ut eorum praedestinatio non ipsorum meritis, sed divinae misericordiae adscriberetur, ut disertis verbis dixit apostolus (ad Tit. 3): *Non ex operibus iustitiae quae fecimus nos, sed secundum misericordiam suam salvos nos fecit.* In eo tamen beatissimae Virginis singulari electio cuiuscumque purae creaturae praedestinationem valde excellit, quod licet absque propriis meritis fuerit, prioritate tamen rationis, et dignitatis longo intervallo reliquis superavit. Quae duo mirifice elucidant egregia illa Ecclesiastica verba, quibus singularem quandam excitavit quaestionem dicens (Eccles. 33): *Quare dies diem superat, et iterum, lux lucem, et annus annum a sole?* quasi dicat: cum dies omnes sint velut filii, aut partus soli, unde provenit, quod dies haec celebrior, et honoratior habeatur, quam dies ferialis, cui nullus honor defertur (ibid.)? Certe huius disparitatis causam minime dixerim ipsam patrem, scilicet solem: subiungit enim Eccles. *Separati sunt factio sole, et praecipuum custodiente:* nec etiam putaverim causam solem moventis, et dies divinitus imperitiam: continuo enim addit: *Dei scientia separati sunt; et per Dei sapientiam dividuntur (ibid.):* quemadmodum enim annum partitus est Altissimus in quatuor illa tempora, frigidam hyemem, floridum ver, calidam aestatem, et fructiferum autumnum; sic etiam, et ecclesiastici anni festivitates divisit: *et immutavit tempora, et dies festos (ibid.):* hoc est, quasdam voluit stabiliri primae classis, alias secundae; has celebres, illas celebriores, quasdam celeberrimas: *et ex ipsis exaltabit, et magnificabit Deus, et ex ipsis posuit in numero dierum (ibid.):* Nec fit satis quaestioni, si quis respondeat: natale Domini, exempli gratia, tali die celebrari, quia palam in eo mundo apparuit; resurrectionis, quia tunc ad vitam revocatus est; pentecostes, quia in eo descendit Spiritus sanctus in linguis igneis (Act. 2); id, inquam, nihil prorsus refert. Nam, quod Christi natus, eius resurrectio, et Spiritus sancti missio illis potius diebus contingerent, quam aliis, certe id non merito dierum, sed divinae voluntatis electioni, et beneplacito adscribendum est. Non dissimiliter hominibus accidit, qui licet, ut ait ibidem Ecclesiasticus, ex terra orti sint, non secus, quam dies a sole: *Et omnes homines de solo, et ex terra, unde creatus est Adam (ibid.):* nihilominus tamen quos naturae conditio aequales effecerat, duae illae praedestinationis, et reprobationis sortes absque propriis meritis impares, et inaequales reddiderunt. In multitudinis disciplinae Dominus separavit eos, et immutavit vias illorum (ibid.): immutatio autem hanc subiciit dum de reprobis ait: *Ex ipsis maledixit, et humiliavit (ibid.):* de praedestinatis vero: *Ex ipsis benedixit, et exaltavit.*

(ibid.). Inter hos ergo praedestinati Christum Dominus, de quo d. Paulus (Rom. 1): *Qui praedestinat est Filius Dei in virtute,* primum locum obtinet, ut indicent verba illa: *In capite libri scriptum est de me (Psal. 39):* secundum vero sanctissima eius Genitrix, quos divina omnipotentia adeo exaltare dignata est, ut ille ad divinae et increatae filiationis celsitudinem; haec ad Dei Matris culmen pertingeret: sicut enim decrevit Deus primum parentem Adamum generis humani caput constituere (Gen. 2), eique sociam Evam adhibuit ex dormientis ipsius latere formatam; ita ad reparandum genus humanum, et ut in mundo esset caput allerius propagationis spiritualis, non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, sed ex Deo, et eius divino spiritu Christum praedestinavit: quem ob id Paulus (1. Cor. 15) secundum et novum Adamum crebro appellat; ex cuius latere dormientis in cruce eduxit hanc secundam Evam, id est, matrem viventium per gratiam. Unde, sicut Eva secunda post Adam procreata fuit, ita et Maria immediate post Christum secundo loco praedestinata fuit. Ex quo divi Augustini (in praefat. in Psalm. 47) doctrinam secutus, non immerito Christum Dominum, primam sabbathi, Virginem vero secundam sabbathi dicam; maxime, quod prima sabbathi dies lunae, quae Mariam designat, quam canit Ecclesia pulchram ut lunam: cum ergo beatissima Virgo secunda fuerit post Christum, consequens fit primam fuisse praedestinatam inter puras creaturas; ut praeter Rupertum (2 in Cant.), et Galatinum, nonnulli patres docuerunt, praesertim d. Gregorius (in lib. Reg. c. 1) dicens: *Mariam post Christum omnes transcendere creaturas dignitate suae electionis: et sanctus Bernardus Senensis beatam Virginem (serm. 51. de virg. c. 4.)* alloquens, *Tu (inquit) ante omnem creaturam in mente Dei praedestinata fuisti, ut Deum ipsum, hominem procreares.* Accedit Andreas Cretensis (serm. de assumpt.) dicens: *Haec est declaratio profundorum divinae incomprehensibilitatis; hic est scopus, qui excogitatus est ante saecula.* Facit ad idem, quod refert Franciscus Venetus in harmonia mundi (Cant. 1.10.5. c. 6); nimirum, inter reconditissima Hebraeorum arcanorum, illud celeberrimum haberi, unam apud Deum esse primam omnium creaturam, quae reliquarum omnium perfectiones contineret, quam illi appellabant (Mitatron). Hanc autem esse matrem Messiae ex eo colligebant, quod nomen Mariae Hebraeis constituit numerum ducentissimum nonagesimum, quem eundem reddunt extremae litterae illarum vocum (Mitatron). Ratio etiam idipsum confirmat: nam, cum Deus decrevit Filium suum ex beata Virgine futurum esse hominem, consequens erit, nihil immediatius praedestinatum, quam matrem, ex cuius thalamo, tamquam sponsus processurus erat: haec enim fuit, quam praeparavit Dominus filio Domini sui (Genes. 24), ut in figura eius praedictum fuit de Rebecca: Deinde, quia dignitas matris Dei adeo praecellens est, ut suo modo pertinet ad ordinem unionis hypostaticae naturae humanae cum Verbo divino; cum mater natus haec ita illum intrinsece respiciat, et ab ea dependeat, ut omnino repugnet esse Ma-

trem Dei unione hypostatica deficiente: igitur, cum mater Dei sit, quae magis accedit ad Christum, tam in esse naturae, quam gratiae, ut scholasticorum doctorem more loquar; non est cur dubitemus, praedestinationem Virginis fuisse immediatam praedestinationi Christi: immo, cum mater, et filius relativa sint et mutuo se respicientia, non poterat praedestinari filius, non praedestinando simul et matrem. Tandem idem proclamant non pauca sacrae scripturae testimonia: in persona enim illius canit Ecclesia (cap. 24): *Ego ex ore Altissimi prodici primogenita ante omnem creaturam (Cant. 6);* et Sponsus ait: *Adolescentularum non est numerus; una est columba mea, perfecta mea; et Ecclesia Romana in officio Conceptionis, et Nativit. beatae Virg.)* inquit: *Elegit eam Deus, et praecipuit eam: quid autem est praecipere eam, nisi, aeternam eius electionem reliquorum omnium sanctorum praedestinationem praecedere?*

Sed perge iam proposita Ecclesiastici verba, quae idipsum mirifice illustrant, elucidare, ex quibus immaculatae Virginis conceptio non parum corroborabitur: ait enim illa (Proverb. 8): *Dominus possedit me in initio viarum suarum: Ab aeterno ordinata sum, et ex antiquis, antequam terra fieret.* Non me latet, hunc locum varias subintrare expositiones: nam d. Basilius lib. 1 contra Eunomium, Origines lib. 1 in Periarcho, Tertullianus contra Praximum, Iustinus dialogo contra Triphonem, autumant, ibi loqui Filium Dei, qui est sapientia Patris, ut terminat naturam divinam, non ut terminat naturam humanam: sed d. Ambrosius lib. 1. de fide (cap. 7) refellit hanc expositionem, eo quod verbum illud: *Dominus, aperte illam excludere videatur:* cum enim Filius Dei, ut terminat naturam divinam sub nullius possessione et dominio fuerit, nec possit esse, nemo unquam illum possedit, ut dominus. Verba Ambrosii sunt haec: *Si Filius loqueretur ut Deus, non diceret, Dominus, sed, Pater.* Alii doctores Salmanticensis arbitrantur in praedictis verbis sermonem non esse de Sapientia incarnata, sed de sapientia absolute, prout est directiva actio, quae quidem introducit ibi per figuram, ut aiunt, prospopaeiam, quae solent rhetores minus personarum rebus inanimatis accomodare: Unde, inquit, sensum germanum illorum verborum esse, sapientiam fuisse comitem individuum Dei in productione creaturarum, iuxta illud, quod infra subditur: *Cum ipso eram cuncta componens (Proverb. 8);* atque adeo nihil se fecisse, nisi sapienter. Sed longe ista errant; non enim legerunt Epiphanium in Anchorato haeresi 67. assententem, locum illum plane esse intelligendum de Sapientia incarnata. Et hanc expositionem esse magnorum patrum, quod proculdubio verissimum est. Nam illam tradunt imprimis Hieronymus super epistola ad Ephes. 2. dicens, in Hebraeo non haberi: *Creavit me, sed, possedit me:* utrumque tamen verbum referendum esse ad Sapientiam incarnatam. Cyril. Alexandrinus 5. thesauri cap. 4. et 8. ait: *Quaerendum est, quis est, qui dixit: Dominus creavit me, et respondet: Christus iam homo factus.* Damascenus lib. 4. cap. 19. Christosolus de sancta, et mirifica Trinitate, Nyssen, de fide ad Sim-



praesentata per illas excellentior est, tanto ideae perfectior indicatur. Unde d. Thomas in qq. de veritate, q. unica de ideis, art. 8. ad 2. ait: *Si autem accipiamus ideam pro similitudine, sic cum diversa sit consideratio Socratis, ut Socrates est, et ut homo est, respondeant ei plures ideae, vel similitudines*: cum ergo beata Virgo excellentissima sit inter omnes puras creaturas, consequens est, ideam eius in mente divina omnium aliarum esse perfectissimam. Et, ne a doctrina d. Thomae discedamus, cum ipse in 1. sent. dist. 16. q. 2. doceat, ideam esse essentiam divinam, secundum quod est exemplar imitatum a creatura, manifestum est, creaturam magis imitantem ipsum Deum nobiliorem, et excellentiorem ideam in Deo habere. Unde, cum beata Virgo inter omnes puras creaturas exactius omnibus creatorem imitata fuerit, evidens est, ideam in mente divina illam representantem, omnes alias longo intervallo antecedere. Ob excessum ergo, et praecellentiam huius perfectionis, speciali ratione ait beata Virgo se ab aeterno fuisse conceptam.

Deinde quamvis in Deo omnia aequalia, et sine ullo discrimine durationis fuerint ab aeterno, in electione autem et coordinatione aliorum ad dignitatem et finem suum, ad quem illa Deus creavit, et in donis gratiarum et praerogativarum, quas illis impartitus fuit, magis aequalia fuerunt. Coelum enim, et terra aequae ab aeterno per Deum fuerant disposita, sed terrena humilitas, et ruditas cum coelesti excellentia, et pulchritudine qui conferri possunt? angelus, et equus, homo atque brutum sine prioris, et posterioris temporis differentia fuerunt in praecognitione, et divino exemplari: sed quid est in bruti turpitudine, quod comparari possit cum angelica dignitate, et mentis humanae acie? Altam igitur Virginem, et reliqua omnia pariter in mente aeterna fuisse fabricata, et conflata dico, sed quid est quae ad illorum omnium electionem cum praedestinatione, et excellenti fine, ad quem Maria electa fuit et disposita? Quare ad Ephes. 1. Apostolus scribit: *Operatur omnia secundum consilium voluntatis suae*. Coelum enim, quod futurum esset locus felicitum, et beatorum, amplitudine quadam, et singulari elegantia illud perpoliri voluit: terram autem hominum, et reliquorum viventium domicilium arboribus, plantis, floribus variis, ac pretiosissimis lapidibus vestivit; hominem denique illum futurum dominum, et quem ad altiore finem praecelegerat, variis ad eum finem exornavit dotibus. Cum ergo Deus in donis, et divinis, charismatibus Matri suae conferendis, non aliorum velle, sed solum sui ipsius voluntatem, quae sibi charissimam illam habebat, consuleret, tot eam oppugnavit numeribus, ac tantis cumulavit virtutum ornamentis, ut inter puras omnes creaturas, nihil iucundius ipse contempleretur quam beatam Virginem, praestantissimum omnium, quae praeconeperat, opus: ob hanc ergo praeslantiam ait, ab aeterno se ordinatam, et antequam essent abyssus, conceptam. Memini s. Ioannem Damascenum, qui erga Dei Genitricem devotionis zelo claruit, in

praesentata per illas excellentior est, tanto ideae perfectior indicatur. Unde d. Thomas in qq. de veritate, q. unica de ideis, art. 8. ad 2. ait: *Si autem accipiamus ideam pro similitudine, sic cum diversa sit consideratio Socratis, ut Socrates est, et ut homo est, respondeant ei plures ideae, vel similitudines*: cum ergo beata Virgo excellentissima sit inter omnes puras creaturas, consequens est, ideam eius in mente divina omnium aliarum esse perfectissimam. Et, ne a doctrina d. Thomae discedamus, cum ipse in 1. sent. dist. 16. q. 2. doceat, ideam esse essentiam divinam, secundum quod est exemplar imitatum a creatura, manifestum est, creaturam magis imitantem ipsum Deum nobiliorem, et excellentiorem ideam in Deo habere. Unde, cum beata Virgo inter omnes puras creaturas exactius omnibus creatorem imitata fuerit, evidens est, ideam in mente divina illam representantem, omnes alias longo intervallo antecedere. Ob excessum ergo, et praecellentiam huius perfectionis, speciali ratione ait beata Virgo se ab aeterno fuisse conceptam.

Denique subiungit, quod et praedicta omnia confirmat (Proverb. 8): *Nondum erant abyssus, et ego iam concepta eram*. Mirabile quidem est, quod cum beata Virgo post quatuor millia annorum supra creationem mundi concepta fuerit, et antequam quidquam faceret a principio, dicat de se, creatam ab aeterno existisse, et antequam essent abyssus, conceptam: nam si ab aeterno non erat, quomodo ab aeterno conceptam se dicit? Nec satis difficultati respondendo, fuisse conceptam ab aeterno in mente divina; id enim nullam praesefert singularem Virginis laudem, cum creaturae omnes, etiam infini gradus, in divina mente ab aeterno conceptae fuerint. Sane ad hoc elucidandum ostendere oportet, quae speciali ratione dicatur beata Virgo praeter ceteras illas creaturas ab aeterno fuisse concepta: licet enim omnes creaturae sint eminenter in illo, immo, et quae parent vix, in illo vitam habent, iuxta illud Ioan. (c. 1): *Quod factum est, in ipso vita erat*; super quae verba d. Thomas ait: *creatura in Deo est creatrix essentia*: quia tamen in Deo sunt similitudines omnium creaturarum, quas *ideaes* theologi vocant; quanto res re-

quodam oratione de laudibus b. Virginis, dum versaret verba illa: *Ab aeterno ordinata sum*, dixisse, certissimum esse, Deum, cum aliquem sanctitate, et dignitate insignem alios praecellere decerneret, valde a longe principium eius praeparare, ac disponere; quod probat Sampsone (Judic. 13) exemplo, quod non tantum ab incunabulis, sed ab utero materno sanctum praedestinavit; et Ioannis etiam Baptistae (Luc. 1), quem in maternis visceribus Spiritu sancto replevit. In operibus etiam, et artificibus externis, experientia ipsa id comprobante, videmus, quod quanto excellentiora sunt, tanto longiore retro tempore incipiunt delineari, ac fabricari. De quatuor illis pyramidibus Aegypti (Plin. lib. 35 cap. 12), quae inter septem mundi mirabilia connumerantur, refert Plinius, earum fabricationem per nonaginta annos, trecentis et sexaginta millibus artificibus collaboratibus durasse: Et si, ut par est, d. Isidoro credimus (in Gloss. sup. c. 7. Gen.), arcae Noe constructionem consumpsit annos; templum etiam Salomonis, ut sacra regum narrat historia (Reg. 6), septem annis extractum fuit, concurrentibus ad eius fabricam, ut ex eodem lib. Regum colligitur, quinque centum fere millibus aedificatoribus: non secus b. Virgo, quae inter Dei praestantissima miracula merito numeratur, quae etiam veri Noe, Christi Domini, arca futura erat; quae tandem tanquam Dei incarnati templum vivum a Deo corporaliter erexit inhabitandum, tot retro annis in mente divina coepit aedificari, vel, ut verius dicam, ibi non coepit, ipsa dicente (Proverb. 8): *Ab aeterno ordinata sum, et nondum erant abyssus, et ego iam concepta eram*. Porro, in horum verborum elucidatione, restat explicare, quid nomine *abyssi* hoc loco intelligatur. Celebris ille archidiaconus, in cap. Nonne 37. dist. docet: *abyssum dici ab a, quod est sine, et byssus, quod genus quoddam lini candidissimi significat*: unde ait, idem esse abyssum, quod sine bysso, seu sine candore: hoc supposito, apte quidem per *abyssum* intelligitur peccatum, quod candore divinae gratiae animam privat et nigram reddit, iuxta illud Hieremiae (Thren. 4): *Denigrata est super carbones facies eorum*: Ne autem cuiquam videatur, novitatem aliquam redolere hanc expositionem, advertat quae, prius illam Davidem adhibuisse dicentem (Psal. 41): *Abyssus abyssum invocat*; id est (ut d. Gregor. exponit) *unum peccatum ad aliud trahit*. Aium irrisperit, negativam partem in controversiis difficultis admodum esse probationis; unde hoc potissimum superest remedium; ut accusatus probeat, cum delictum sibi impositum, patrum fuit, longe se ab eo loco tunc abfuisse: non dissimiliter in proposito, cum mors peccati originalis ex Adamo primo parente ortum haberet, omnibus eius filijs per naturalem propagationem ab ipso descendentibus, mors illa imputatur, tanquam praeravicularibus in ipso capite contentis: at b. Virgo apertissime peccati, sibi non imputandum esse mortem peccati, quia antequam essent abyssus originalis culpae, etiam in aeterna permissione, permittente omnes ab Adam naturali via propegatos

CARTHAGENA DE B. M. V.—Vol. I.

infici, iam ipsa in mente Dei concepta, et in divina voluntate praedestinata erat: atque hinc est, quod licet in profundo illo abyso, ac profusio originalis peccati submersi fuerint omnes ab Adamo progeniti, de quibus in sensu mystico intelligi possunt verba illa Exodi (c. 15): *Submersi sunt in mari rubro, abyssus operuerunt eos, descenderunt in profundum quasi lapis*: beatissima vero Genitrix ex speciali Filii sui beneficio, in conceptione sua submergi non potuit; ipsa dicente (Proverb. 8): *Nondum erant abyssus peccati originalis, et ego iam concepta eram* in mente Dei; cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

### HOMILIA III.

*Praedestinata fuisse beatam Virginem in Matrem Christi Domini, et coalutricem illius ad redemptionem generis humani, priscorum patrum monumentis ostenditur; ex quo immaculatam fuisse eius conceptionem non obscure deprehenditur.*

Inter alia pleraque, quibus divina providentia humanam prudentissimorum quoque principum superat, illud singulare est, quod isti principes, etsi aliqua subditis, non tamen sufficientiam conferunt, sed illam supponunt: cum enim eligant aliquem in iudicem causarum civilium, illum literatum, et in iure versatum sibi suasum habent: et cum quempiam in belli alieuitu magni momenti generalem ducem certant, praenoscunt illum iam in arte militari peritum: unde, nec illi iuris; nec isti artis militaris peritiam conferunt. Deus autem, cuius providentia in sua dispositione non fallitur, (Eccles. orat. Dom. 7. post Pentecosten), cum quempiam eligat ad munus aliquod obendum, non solum officium, sed et idoneitatem, ac sufficientiam ad illo fungendum ei confert, huic maiorem, illi minorem, iuxta mensuram, et exigentiam officii, et dignitatis collatae. Unde d. Thomas (3. p. q. 27. art. 4) ait: *Quos Deus ad aliud eligit, ita praeparat, et disponit, ut ad illud, ad quod eliguntur, inveniatur idonei*: iuxta illud apostoli (2. Cor. 3): *Idoneos nos fecit ministros novi Testamenti*: Sapiens enim regulator ea, quae sunt ad aliquem finem, debet regulare secundum ordinem ipsius finis. Elegit Deus Ieremiam prophetam (c. 1), ut alios doceret: *Prophetam in gansipere (ibid.) dicens: Ecce, nescio loqui, quia puer ego sum*; tamen Dominus, qui contulit officium, dedit et sufficientiam. Ais, te puerum esse, atque adeo pavidum, et timidum (ibid.)? *Ne times a facie eorum, quia ego tecum sum*. Ais, te loquendi faucibus peuitas carere? *Ego tangam labia tua, et infundam in eis dicendi gratiam (ibid.)*. *Et misit Dominus manum suam, et tetigit os meum* Haec in veteri lege. In nova autem videmus, Christum Dominum iuxta mare Galilaeae quodam piscatore vocasse ad apostolatam, quod piscandi animas munus erat; eis tamen ad id numeris obendum, qua indigentibus, sufficientiam large dedit. (Matt. 4) dicens: *Faciam vos fieri pisces hominum*. Cum igitur

beatissima Virgo fuerit electa a Deo ad praestantissimum, et excellentissimum omnium matris Dei officium: ipsa enim tribuit Verbo dei carnem, et sanguinem, ut ex ea Deus homo fieret; consequens est, Deum copiosissime ei praestitisse omnem sufficientiam, et idoneitatem ad tantum munus recte gerendum (Luc. 1). Unde, si Ioannem Baptistam, quia praecursor adventus sui in carne praecergerat, in utero materno sanctificavit; eam, quam praedestinavit in Matrem, et suae carnis genitricem, nonne par erat, ut excellentiore sanctificationis genere, cuiusmodi est peccati originalis praeservatio, illam donaret? Sane, quemadmodum in Christo Domino supremus ille titulus Filii Dei naturalis, principium est, unde universi theologi colligunt excellentissima dona humanitatis eius collata; ita titulus ille augustissimus Matris Dei naturalis principium est, et origo, ex quo prudenter inferimus, praeclearissima gratiarum munera Virgini fuisse donata: ut enim decauit, naturam, quam creator sibi hypostatice uniebat, omni divinorum charismatum genere plenissimum esse; ita et decebat, quam Virginem in matrem elegit, coelestibus donis repleri: habet enim hoc hierarchicum ius, ut docuit magnus Dionysius (*de coelest. hier.*), ut inferioribus perfectiones ac virtutes sint in superioribus praestantiori modo repositae. Unde, cum intra latitudinem, et ambitum ordinis gratiae Dei Genitrix superiorum locum teneat super omnes puras creaturas, consequens est perfectiones tam angelorum, quam hominum excellentiori modo in ea reperiri: constituit enim non solum angelos, sed et primos nostros autem in gratia fuisse creatos, ita ut simul Deus in eis esset condens naturam, et largiens gratiam; satis ergo rationi consonum est, ut dicamus beatam Virginem ab instanti suae conceptionis gratam Deo extitisse. Ut enim sapienter dixit d. Bernardus (*ad canon. Lugdunen.*): *Quod vel paucis constat fuisse collatum, fas certe non est suspicari tantae Virgini esse denegatum.* Haec omnia confirmat egregie d. Hieronymi verba ad Eustochium: *Nulli dubium est de Matre Domini, quin talis debuerit esse, quae non posset argui de peccato: id enim sine dubio cederet in improprium Filiis: sicut enim parentum nobilitas transit in filios (L. 1. et *Lassumpt.* §. filius, ff. ad municipalem): Natus enim ex cie, civis est, et natus ex comitarenis, comitarenis est;* ut docet textus: e contrario vero ignominia parentum labitur in filios; Ecclesiastico dicente (*Ecles. 3*): *Ne gloriaris in contumelia patris tui: non enim est tibi gloria eius confusio; gloria enim hominis ex honore patris sui, et dedecus filii patris sine honore.* Quia ergo si b. Virgo originalis culpae lae fuisse deturpata, ad huc sanctificata, peccati illa infamia remansisset, ob quam semper de ea posset dici, semel in peccatum fuisse prolapsam, et inimicam Dei, et odio habitam illi; ideo ad sapientissimum Dei providentiam spectabat, ut in matrem elegerat, a peccati originalis macula omnino praeservaret: si enim nullus saepe mentis, cui fingeremus optionem dari, ut matrem sibi eligeret, minime alicuius infamiae nota inquinatum acciperet: ut quid, incretam Dei sapientiam,

matrem sibi elegisse putabimus originalis peccati litura deformata, cum angelis, et primis parentibus puriore assumere facile poterit? Adhaec legimus, Abrahamum famulo suo dixisse (*Gen. 24*): *Non accipias uxorem filii meo de filiabus Chanaanorum;* si ergo Abraham adeo sanctitatis cultor fuit, ut specialem curam haberet, ne genti peccatrici, aut foeminae nequam commiseretur eius filius, quis, quaeso, diffidit aeterno Patri curam nullam fuisse dandi Filio matrem, quae peccati iugo, ac sathánico dominio subdita nunquam exstisset?

Porro, si ex alio capite beatissima Virginis praedestinationem contemplerur, quatenus scilicet electa, et praedestinata fuit, non solum ut mater Christi foret, sed ut coaditrix eius esset, et comes individua in redemptione, et reparatione generis humani, haud difficile erit illibatam eius conceptionem indeprehendere. Quod, ut altius repetamus, supponere oportet, quod sicut iuxta communem et receptissimum patrum sententiam, primus parens Adam Christum Dominum praefiguravit, ita et Eva eius uxor b. Virginis typum ad vivum gessit: sicut enim in formatione Adae non aliae causae concurrerunt, quam Deus, et terra; ille, ut efficiens, haec ut materiam limi subministrans; sic in corporis Christi generatione Deus solum, et Virgo concursum suum adhibuerunt; ille effecit ut verum ineffabili modo supplens; haec materiam foetus, purissimum scilicet sanguinem suppeditans, ut docuit angelicus Doctor (3. p.): sicut etiam terra illa, ex qua procreatus est Adam, virgo erat, utpote quae nullius cultoris semen susceperat; ita virgo erat, et virgo perpetuo mansit, quae semen viri, et peccati corruptionem semper nescivit: et sicut terra illa, ex qua productus fuit Adam nulli unquam maledictioni obnoxia fuerat; ita, et b. Virgo, ex qua secundus prodiit Adam, nulli originalis peccati maledicto subiacerat: si enim decauit terrenum Adam ex terra non maledicta efformari, potiori ratione decebat coelestem Adam, Christum scilicet Dominum, ex terra virginea, peccati maledictione nunquam infecta, procreari. Quod eaepropter in scriptis praevidentis regius Vates arbitrator dixisse: *Benedixisti Domine terram tuam (Psal. 84)*, benedictionem, inquam, divinae gratiae animam sanctificantis. Ne autem quaequam putaret, ipsum loqui de benedictione sanctificationis post contractum peccatum originale, continuo subianxit, benedictionem illam fuisse praeservativam, ne in daemonis captivitate veniret: *avertisti captivitatem Iacob (ibid.)*; non dixit, *Abstulisti captivatem*, quasi iam illam incurrisset; sed *avertisti*: ut palam significaret originalis peccati servitutum propulsa, et beatam Virginem prohibitam, seu impeditam fuisse, ne in illam incideret. Unde notanter loquens in eodem psalmo de sanctificatione aliorum, non dixit (*ibid.*): *avertisti captivitatem*, sed, *remisisti iniquitatem plebis tuae, operasti omnia peccata eorum*, quod dispari loquendi genere non obscure docuit David, hoc fuisse discrimen inter sanctificationem Virginis, et aliorum, quod illius praeservativa, hortic sanativa extiterit. Verum, ut ad rem nostram proprius accedentes, in eo valde (ut ad praec-

sens institutum spectat) opinor Evam b. Virginis typum gessisse, quod sicut illa data fuit Adae in adiutricem ad temporalem filiorum generationem: *faciamus adiutorium simile sibi (Gen. 2)*; ita et Christo Domino data fuit beatissima Virgo in coaditricem ad spirituale filiorum sobolem procreandam, et humanum genus a diabólica captivitate redimendum; quam veritatem, tametsi nonnulli inficari tentaverint, sacrae nihilominus Scripturae testimoniis, et veterum patrum monumentis confirmare admittit. Id enim sibi voluit, ni fallor, verba illa Proverbiorum (e. 8): *Cum eo eram cuncta componens: sane ante conceptionem Virginis, cuncta erant incomposita, propter enormia hominum scelera, quibus divinam iram irritaverant: b. autem Virgo in mundum veniens cuncta composuit, et polesate diabólica precibus suis peccatores eruit, et creatori suo illos reconcilians.* Unde d. Antoninus (4. p. *theologiae* 111. 15. cap. 14. §. 3. *in fine*), haec loci huius intelligentiam amplexus, ait: *Cum eo eram, cuncta componens, scilicet, recreando quae per culpam quasi destructa erant; quibus consonant verba d. Bernardi: Merito, o Domina, respiciunt in te oculi universae creaturae, in qua, et ex qua benignissima manus Dei, quidquid creaverat, recreavit. Id ipsum magis adhuc perspicue, et distinctius indicant verba illa Gen. 1. Inimicitias ponam inter te, et mulierem, et inter semen tuum, et semen illius; ipsa coneret caput tuum: ex quo loco non obscure patet, opus redemptionis Virginis non modo attribui; licet enim in Hebraeo legatur: *Ipsam, scilicet semen, coneret caput tuum*, hoc est Christus, qui redemit nos ab originali; quam lectionem amplectuntur Irenaeus lib. 4. cap. 78. Cyrilianus lib. 2. ad Quirionum cap. 93. Petrus Crisologus serm. 137. Hieron. in qq. 69. Hebraeis. Augustinus tamen 12. de Gen. ad litteram cap. 13. Ambros. de fuga saeculi cap. 7. Greg. 1. Moral. cap. 38. Bernard. serm. 2. in *Missus est*, Eucherius, et Beda in Genes. non ipse, sed, ipsa legunt; sicut legit nostra vulgata. Ex qua versionum diversitate infero, iuxta unam interpretationem Christo, iuxta alteram Virgini opus redemptionis attribui; Christo, ut principali auctori; Virgini, ut minus principali: sicut peccatum originale principaliter Adae, minus principaliter Evae adscribi solet. Unde Deipara per beatam Birgiltam lib. revelat. c. 35. ait: *Dolor Christi erat dolor meus, quia cor eius erat cor meum; sicut enim Adam, et Eva venderunt mundum pro uno panno, sic Filius meus, et ego redimimus mundum quasi uno corde; quod considerans Lanspergius hom. 48. de passione Domini dicebat: *Voluit Christus matrem adesse sibi in doloribus, ut ex eis quoque oculis foris cerneret, intus animo vulneraretur; ut sicut Christi passionis, redemptionis quoque nostrae particeps fieret, et cooperatrix.* In eandem sententiam clarissimi Ecclesiae patres conspirant; celebris enim ille Andreas Cretensis episcopus Hierosolymitanus oras de dormitione Virginis elegantiter dixit: *Sola praeter naturam fuit electa ad naturam renovandam; sola deseruit officii unicevae naturae: quibus consonant egregia verba b. Petri Damiani (ser. de annunc.), dum ait: In ipsa hoc totum faciendum decernitur, ut sicut sine illo***

nihil factum est, ita sine illa nihil repletum sit.

Et serm. de assumpt. ingeniose aptat locum illum Davidis: *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt;* vocat enim Virginem, virgam, erucem vero, baculum, quibus Christus Dominus nostram redemptionem operatus est. Inter antiquiores etiam patres idipsum docuit d. Augustinus (*ser. de Nativ. Virginis*) dicens: *Mater sceleris nostri poenam intulit mundo, Genitrix Domini nostri salutem attulit mundo; auctrix peccati Eva; auctrix meriti Maria: Eva occidendo obfuit, Maria vivificando profuit; perussit illa, sanavit ista: haec ille. Audiamus d. Bernardum (ser. 89): *Maria, ait, omnibus se debetricem fecit, omnibus misericordiae sinum aperuit, plenitudinem eius accipiant universi: captivos redemptionem, aeger curationem, tristes consolationem, peccatores veniam, iustus gratiam, angelus laetitiam, tota Trinitas gloriam; denique Filius personae carnis humanae substantiam, ut non sit, qui se abscondat a calore eius (Psal. 18).* Non dissimilia tradidit s. Germanus (*ser. de zona Domini*), alloquens b. Virginem: *Nullus, inquit, est, qui sanus fiat, nisi per te Virgo sanctissima; nemo est, qui liberetur a malis, nisi per te, o purissima; nemo est, qui donum concedatur, nisi per te o castissima. Accedit d. Irenaeus (lib. contra Valentin. cap. 33). Sicut Eva inobediens facta est, et sibi, et universo generi humano causam mortis, sic et Maria habens praedestinatum virum, tamen virgo obediens, et sibi, et universo generi humano causam facta est salutis: ac tandem s. Ephrem beatam Virginem (or. ad Virg.) vocat: *captivorum redemptionem, et omnium salutem.* Et Sergius Hieropolitanus (*de nativ. Virginis*) eam compellat: *tenebrarum exprobratorem, reparationem Adae, Evae recalcitricem, immortalitatis fontem, corruptionis interitum.* Multum plura? Sane si sacrosancti Mariae nominis arcana scrutemur, haud difficile erit inde colligere, beatam Virginem cooperatricem cum Christo in reparatione generis humani extitisse. Rabbi enim Accados (*lib. Revelat.*) exponens Antonino urbis romanae consuli locum illum Isaiae: *Multiplicabitur eius imperium, et pacis non erit finis (Isai. 9)*, colligit hinc, matrem Messiae vocandam fore Mariam, cuius nomen contineri ait in dictione Hebraea לְמַרְיָ לֵמַרְיָ, id est, ad multiplicationem, ut significaretur Mariam ad multiplicationem humani generis iam extincti servatam, et ad spirituum filiorum sobolem propagandam, ab aeterno una cum Christo dominantem esse; itaque tam ex sacra Scriptura, quam ex patrum, et antiquorum doctorum testimoniis, immo ex ipsa nominis Mariae significatione colligimus, praeclearit fuisse a Deo in coaditricem Christi ad opus redemptionis; non quia solus ipse non sufficeret, sed quia contentanem erat, ut ait Irenaeus (*lib. 3. contra Valentin.*), ut sicut per foeminae Adam seducenstem mundus fuerat perditus, per foeminae Christi interservientem restauraretur: quod et d. Bernardus (*de Assumpt. B. Virg. suo ser.*) his dulcissimis verbis peregerat dicit: *Ad restorationem humani generis sufficere poterat solus Christus, nam omnis sufficientia nostra ex ipso est: sed bonum non erat nobis, hominem esse solum; congruum magis erat, ut adesset nostrae repara-***

*tioni seorsus uterque, quorum corruptioni neuter defuisset.* Cum ergo Deipara Virgo suo modo nostra redemptrix fuerit, pretium sanguinis Filio suo tribuere, quo nos ipse redemit, consequens est; ab omni peccato originali alienissimum fuisse: sicut enim, ut ait Paulus de Christo redemptore loquens (ad Heb. 10): *Talis decebat nobis ut esset pontifex, sanctus, innocens, impollutus, segregatus a peccatoribus, et exorsior caelis factus;* sic etiam, Virginem, Christi coadiutricem, et sociam in reparatione generis humani oportebat et coelo ipso puriore esse.

Sed iam aliter exponamus praeadducta verba Genesis, quae post Adae infelicem casum cruentissimo serpenti dicta fuerunt: *Ipsa conteret caput tuum* (Gen. 3): His quidem non obscure mihi persuadeo, immaculatam Virginis conceptionem aperte comprobari. Cum enim serpens de Eva victoriam reportaverit, constat verba illa de b. Virgine caput serpentis contere in intelligenda esse, quae ut altera Debora tyrannum deridens, dicere potuit in instanti suae conceptionis (Iudic. 4): *In hac vice non reputabitur tibi victoria;* per caput autem serpentis intelligit d. Augustinus originale peccatum (super Gen.): *sane originali peccato omnes sumus in utero materno ingulati,* ut eleganter dixit d. Bernardus (ser. de 12. gradib. humilit.): *omnes nascimur morituri, et tamquam absorpti nascimur mortui, quia in utero matris sumus a serpente strangulati;* ac tanta fuit Virgini divinitus data fortitudo in conceptione sua, ut hoc diaboli caput, peccatum scilicet originale, penitus contereret; quod sane si secus accidisset, potius diabolus Virginis caput contrivisset, eius conceptionem maculans, quae caput fuit et principium curriculae totius eius vitae. Hanc diabolici capitis contritionem egregie adumbratam contempserit in fortissima illa Iudith (c. 1. et 3): postquam enim Nabuchodonosor expugnauerat Ecbatanem inclutam urbem, a rege Arphaxad constructam, decrevit alias omnes imperio suo subiugare; quod, ut praestaret, misit Holofernem ad subiciendam sibi Bethuliam (Iudith 7): at occurrens illi mulier quaedam hebraea, nomine Iudith (c. 13), caput eius mira fortitudine, evaginato ense, amputavit. Non secus, cum primum superavit Adam evitatum ferem, continuo omnes, nomine excepto, sibi subiugare diabolus tentavit: sed mulier quaedam hebraea, nomine Maria, imperio suo minime se subiecit; quin potius caput eius contrivit, in magnum ipsius dedecus et confusionem, ut et verba, quae milites Holofernis tunc protulerunt, aperte praesignificantur (Iudith 14), dicentes: *Una mulier Hebraea fecit confusionem in domo Nabuchodonosor.* Cum enim diabolus de inegerrima Virgine victoriam reportare sperasset; e contra vero illasus, et expugnatus ab ea remansisset, non potuit non turpissimum pati confusionem: quemadmodum etiam, id referente sacra Scriptura, Iudith (c. 15) donata fuit omnia Holofernis spolia, eo quod caput illius praecidisset: ita beatissimae Virgini, quae caput doemnis, hoc est originale peccatum, quod principium et caput est reliquorum peccatorum, contrivit; omnia gratiae spolia, quae daemon ante miserum eius casum possidebat, concessa fuerant: inter quae illud

unum magni momenti fuit, ut in gratia, instar angelorum oriretur, nullius peccati labem agnoscens. Unde, sicut de eadem Iudith (ibid. 8) dicitur: *Nec erat, qui loqueretur verbum malum de ea;* ita oportet ut nemo sit, qui malum a liquid in Virginis conceptionem irrepisse ore suo audeat proferre. Tandem praedicta omnia, quae de capite daemnis per Mariam contrito in medium prodiximus, egregie confirmant Davidica illa verba ad Virginem relata: *Super aspidem, et basiliscum ambulabis, et conculcabis leonem, et draconem* (Psal. 90): beata enim Virgo non solum leonem, et draconem actualium peccatorum expugnavit, sed etiam aspidem, et basiliscum, quibus originale peccatum obumbratur; quia sicut basiliscus serpentem rex et caput est, ut indicat ipsum nomen graecum, ex quo latinum deductum est, et solo oculo aspectu etiam ex distanti loco intuens homines occidit; ita peccati originalis leterrimus basiliscus ex distanti illo paradisi loco per Adami oculos, velut per cancellos nos prospiciens, pestifera fascinatione lethaliter nos omnes infectit. Modus etiam satis in Ecclesia Dei usulatus in depingenda b. Virginis conceptione, dum illam pede draconem conculcantem pictores describunt, satis indicat, cum primum concepta fuit, caput illius contrivisse. Ut enim ex naturalibus historiis refert Rupertus (3. de Trin. c. 20): tanta est inter mulierem, et serpentem, seu draconem antipatia, ut si illa pedem super caput eius imponat, continuo illum interfere compellat: Verba Rupertus sunt haec: *Si nuda mulieris planta dentem serpentis praecenerit, et vicinissimum caput eius vel lecter praesenserit, statim totum cum capite corpus repente interit, ita ut nullum omnino motus, nullus sensus in aliqua parte residuus sit.* Non secus inter beatam Virginem, et diabolicum serpentem iam singularis extat antipatia ac inimicitia, Deo ipso (Gen. 3) dicente: *inimicitias ponam inter te, et mulierem;* ut cum ipse calcaneo Virginis insidiaretur, peccati originalis venenum in illam evomere tentans, ipsa mundissimo suae conceptionis pede illum conculcans, caput contriverit. Narrat fabuloso auctore, antiquos fluxisse deam Palladem ex cerebro Iovis natam, galea, et lorica armatam, et fortem hastam in manu tenentem, et mundo formidabilem foras prodixisse: huius fortitudinem tantam esse asserunt, ut veneficum quemdam ingentem draconem, et omnibus infestissimum enecaret: fabulosam hanc narrationem, velut verisimilem historiam deiparae Virgini ascribere possumus, cum ab instanti suae conceptionis, adeo fortis, expugnabilis, et omni spiritualium armorum genere praenunita prodierit, ut non solum antiquus serpens peccati veneno illum inficere non potuerit, sed nec contritionem sui capitis ulla ratione praecavere valuerit, Deo ipso illi dicente: *Ipsa conteret caput tuum;* cui sit honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

## HOMILIA IV.

*Deum singularem curam habuisse, ut immunitas esset conceptio beatae Virginis a peccato originali, cuius natura more concionatorio explicatur; simulque ostenditur, doctrinam hanc coelitus esse delapsam; et rationes aperuntur, ob quas delectat, ut adhuc sub iudice sit (1).*

Si clarissimi viri Gamalielis, quondam magistri d. Pauli, ad cuius pedes multa ipse se didicisse fatetur, solidissimam doctrinam, et omni exceptione maiorem consulamus, reperimus sententiam asserentem immaculatam Deiparae conceptionem, doctrinam coelitus esse delapsam; Gamaliel enim in publico concilio, cum de apostolorum doctrina acriter altercetur, mille sophysmatum tela in eam conicientibus, alta voce dixit (Act. 5): *Sinite illos, quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur: si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte et Deo repugnare inveniamini.* Non dissimiliter, si asserito immaculatam Virginis conceptionem adstruens falsa fuisset opinio, aut humanum consilium, firmisque fundamentis non immitteret, certe, tot fortissimis oppugnatoribus acriter illum labefactare conatibus, iam devota ac superata, penitus corruisset: at, cum e contra certe accidat, experientia ipsa comprobante, ut in dies nova incrementa suscipiat, ac tenacius quotidie fidelium etiam doctissimorum mentibus inhaereat, et Ecclesia catholica magis, ac magis in illam propendat, non leve argumentum esse arbitror, iuxta sententiam Gamalielis legis doctoris honorabilis (sic enim eum vocat sacer textus), doctrinam hanc ex Deo esse, et non humano solum ingenio adinventam. Ad eam tamen magis elucidandam, praesupponere oportet catholicam veritatem, quam docet sacrosanctum concilium Tridentinum (sess. 5. decreto de peccato originali), nempe post peccatum primorum parentum per traditionem naturae traduci etiam peccatum originale unicuique proprium, quae, ut ibidem ait concilium, *mors est animae:* quod sub egregia metaphora praedixerat Ezechiel (c. 18): *Patres comederunt uvam acerbum, et dentes filiorum obstupescunt:* sed clarius, et absque illo tropo Hieremias (Thren. 7): *Patres nostri peccaverunt, et non sunt, et nos iniquitates eorum portavimus.* Multi haeretici veritatem hanc oppugnantur, inter quos acerrimus fuit Iulianus apostata, qui, ut refert d. Augustinus ad Valer. (de nuptiis, cap. 28. tom. 7), dicebat: *Non peccat iste qui nascitur, non peccat ille qui genuit, non peccat ille qui condidit: per quas igitur rimas, inter tot praesidia*

*innocentiae, peccatum fingit ingressum?* huic haereticæ obiectioni respondet d. Paulus (ep. ad Roman. 5), ostendens rimas, per quas ad nos penetravit peccatum: *per unum, inquit, hominem peccatum in hunc mundum intravit, et per peccatum mors, et ita in omnes homines mors pertransiit.* Modum autem, quo subintrat peccatum originale, antequam explicem, placet familiari quodam exemplo eidem Iuliano respondere: Certe, si frumentum, quod terrae mandat, consideres, nec in eo paleas reperies, nec illae in manu seminantis adsunt, nec in terra, in qua scribitur, praecarant, neque tandem cum pluvia coelesti, quae haec irrigatur, decidunt; et nihilominus frumentum postea palea involutum nascitur: Non secus, peccatum originale nec erat in anima, quae secundum se omni macula caret, nec erat in manu Dei creatans, cum ipse sit fons totius puritatis, neque in utroque parente generale, quos suppono iustos et sanctos esse; nihilominus tamen dum per naturalem propagationem peccati tangit carnem ex primo illo praevicatore ortum, in quo omnes nos peccavimus, peccati turpitudinem contrahit. Atqui hac sine dubio tendunt verba August. de verb. Apost. serm. 14. dum ait: *Pone iustum baptizatum, tamquam granum purgatum, et non attendis, quia de grano purgato nascitur frumentum cum palea, sine qua seminatum fuerat?* quo autem modo id fiat, in hunc modum debet explicari, i. nimirum, quod Adam fuit constitutus a Deo caput suae posteritatis tam naturae, quam morale: naturae quidem, quia omnes posteri ab eo erant per naturalem generationem propagandi: morale vero, quia in illius deliberatione constituit Deus tam pro se, quam pro filiis suis permanentiam in statu innocentiae, vel culpabae illius amissionem. Unde in voluntate Adae moraliter constituit Deus voluntates omnium posterorum: ex quo fit, ut ipso transgrediente divinum praeceptum, omnes in illo transgressores facti sint; quoad sufficientiam quidem, antequam generarentur; quoad efficaciam vero, quando actu geniti sunt: tunc enim actu contrahunt peccatum ipsum originale, quod licet non fuerit voluntarium actu proprio et formali, vere tamen quasi virtualiter, et interpretative, in actu primi parentis, quatenus in eius voluntate, ut in capite morale, omnium voluntates continebantur, et omnes in illo unum erant. Hae duplici exemplo Angelici doctrinam (1. 2. q. 80. art. 1) magis explicamus. Primum exemplum est ex corpore humano sumptum, in quo voluntas animae est voluntas etiam membrorum, quatenus anima est principium motuum ipsorum, et inordinatio actus externi dicitur illis aliquo modo voluntaria, quatenus concurrens ad eum, ut instrumentum motum ab ipsa animae voluntate: consimili ergo ratione voluntas Adae, voluntas dicitur posterorum, quatenus Adam est principium movens illos motu generationis ad actum essendi; et inordinatio peccati originalis dicitur illis voluntaria, non voluntate propria, sed voluntate Adae, tamquam capitis utentis illis veluti instrumentis, movendo unumquemque motu generationis ad actualiter existendum. Secundum exemplum ad-

(1) Doctrina de immaculata Virginis conceptione in primo instanti nunc sub iudice non est, sed ab anno 1854, tota Ecclesia plaudente, definita fuit uti dogma fidei a summo totius catholici Pontifice Pio IX f. r. — Nos in fine homiliae tractantium de hoc dulcissimo mysterio, subnectemus bullam praedictae dogmaticae definitionis.